tius mundi peccatis expanſum eſt, ita omnib⁹ creaturis idem annunciari oportuit; *Marc. 16.* Jam cum Chriſtus *Matt. 16.* profiteatur: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam,* ſequitur te quoq;, quia peccator ſis, ad pœnitentiam eſſe vocatum, ut conſequaris peccatorum remiſſionē per fidem; juxta illud Luc. 24. *Oportebat prædicari in nomine Chriſti pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes;* & illud ad Coloſ. 1. *Prædicatum eſt Evangelium in univerſa creatura quæ ſub cœlo eſt.* Sanè non alio fine, quam fidei cauſa, juxta illud Rom. 10. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audiverunt?* Abſit autē ut credamus Deum fruſtra te vocare, non agere ſerio, & hypocritam eſſe. Qui ſi non vult ut vocantem & invitantem ipſum auſcultes, cur ergo iraſcitur his qui cœnam & convivium illius aſpernantur; *Matt. 22. Luc. 14.* Cur itē his qui per fidem vocationem recipiunt, hoc eſt, in ipſum credentib⁹ vitam æternam promiſit? *Ioh. 3.* Cur eandem fidem usq; ad finem ſe conſervaturum eſt pollicit⁹, donec in quā beatitudo, quę eſt fidei finis, ipſam conſe-

qua-